







4077

*Ac: 1102.*  
*1786, 14.*

DISSERTATIO IVRIS LVSATICI  
DE  
IVRE REPRAESENTATIONIS  
IN LINEA COLLATERALI  
OB §. 19. REC. IMP. A. 1521. IN LVSATIA  
SVPERIORE OBVIO.

---

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE  
CHRISTIANO AVG. GVNTHERO  
IVR. ET PHILOS. DOCT.

A. D. IV. OCTOBRIS A. C. c1010cclxxxvi

H. L. Q. C.  
DEFENDET  
AVCTOR  
CAROLVS THEOPHILVS BEHRNAVER  
GORL. LVSAT.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA KLAVBARTHIA.



DISSERTATIO HÆRESI LYSATI

DE

IVRE REPRÆSENTATIONIS

IN LINÆ COLLATERALI

OB 2<sup>o</sup> REC. IMP. A. REC. IN LEGATIA

HAERESIS ORATIO

AVIA

INSTITUTIO ICTORUM ORATIONIS HAERESIS

PRÆLATIO

CHRISTIANO AVG. GANTHERO

A. D. IV. OCTOB. M. C. CLXXXVII

H. L. O. C.

D. E. T. M. D. E. T.

AVCTOR

CAROLVS THEOPHILVS BEHNHAYER

COLE. LEGAT.

LIPSIAE

BY OFFICINA XAVIERIANA





VIRIS

EXCELLENTISSIMIS IVRIVM CONSVLTISSIMIS  
AMPLISSIMIS

DANIELI THEOPHILO  
HARTMANNO

CIVITATIS GORLICENSIS CONSULI

ET

ERDMANNO THEOPHILO  
HARTMANNO

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI ET SENATVS  
GORLICENSIS SYNDICO

PATRVIS MAGNIS OPTIME  
DE SE MERITIS

HVNC SVVM LIBELLVM

D. D. D.

CAROLVS THEOPHILVS BEHRNAVER

GORL. LVSAT.



VIRI

EXCELENTISSIMIS IVRVM CONSULTISSIMIS

AMPLISSIMIS

DANIELI THEOPHILLO

HARTMANNO

CIVITATIS BOLOGNENSIS CONSULE

ET

FRIDMANNO THEOPHILLO

HARTMANNO

ORDINARIUS DOCTOR ET PRAEFECTUS  
CONSISTORII SVEVICI

PATRIAE MAGNIS OPTIME

DE SENECTUTE


HAEC SEVM LIBELLVM

CAROLVS THEOPHILVS SENECTVTE

SECVLVS







## CAPVT I.

### § 1.

*Ius repræsentationis inter collaterales iure ciuili adseritur.*

**O**rdinem ab intestato succedendi, antiquo Romanorum iure constituta, Nouella 118. profus immutatum esse, neminem fugit. Nam quum ex lege decemuirali primo loco suus heres, altero agnatus proximus, postremo gentilis ad hereditatem vocaretur, post varias sanctiones tum ciuiles tum praetorias, quibus pristini iuris vel defectus fuit suppletus, vel rigor temperatus, Iustinianus certam aliquam normam desiniuit, qua primum descendentes, deinde ascendentes vna cum fratribus ac sororibus ex vtroque parente coniunctis, denique reliqui e latere iuncti, nullo inter agnatos et cognatos discrimine habito, succederent. Ad collaterales in primis quod attinet, disertis verbis disposuit, vt, quando fratres aut sorores superstites cum defunctorum defunctorumue liberis concurrant, liberi tantam ex hereditate acciperent portionem, quantam eorum parens accepisset, si fuisset superstes. *Vnde, inquit, consequens est, vt, si forte praemortuus frater, cuius filii viuunt, per vtramque partem nunc defunctas personae iungebatur, superstites autem fratres per patrem solum forsan, aut matrem ei iungebantur, praepoantur istius filii proprii tui, licet in tertio sint gradu, siue a patre, siue a matre sint, tui, et siue masculi, siue feminae, sicut eorum parens praepoeretur, si viueret. Et ex diuerso si quidem superstes frater ex vtroque parente coniungitur defuncto, praemortuus autem per vnum parentum iungebatur, huius filios ab hereditate excludimus: sicut ipse, si viueret, ab hereditate excluderetur.*

Et si vero (quod paulo post sequitur) tum, vbi fratres vna cum ascendentibus succedunt, defunctorum liberos cum ipsis superstitibus fratribus admittere noluit, postea tamen Nouella 127. praef. et cap. 1. illos admisit. Et hunc quidem successionis modum eo niti, quod quis censetur defuncti parentis personam referre eiusque locum sustinere,

A 3

ex

a) Nov. 118. Cap. 3.



ex his, quae diximus, facile patet. Solet autem, quemadmodum satis constat, omnis illa ratio iuris repraesentationis nomine venire. Quamobrem certum est iuris ciuilibis praeceptum, repraesentationis ius non solum in descendentibus, verum etiam in fratrum ac sororum liberis locum habere.

## §. 2.

*Iuris repraesentationis in Germania receptio et facta.*

Nulla iuris repraesentationis vestigia in iure provinciali neque Saxonico neque Alemannico reperiuntur. Nam quod Iur. Proy. Sax. lib. 1. Art. 5. de nepotum successione, praemortuo filio, constitutum est, id magis ex natura atque indole condomini Germanici, quo nepotes simul velut domini bonorum aui erant, repetendum esse arbitrator. Ipsa quidem verba haec sunt: *Nimet der Sun bie des Vaters libe, die ime ebenbürtig ist, und gewinnet her sune bi ir, und stirbit her darna, eh sine vater, umbeteylit von dem erbe, sine sune nemen erbetheil in ired eldervater erbe, gleiche ired vettern in ired vaters statt. Alle nemen sie aber eines mannes teil. Dises en mag den tochter kindern nicht geschen, daz sie gleichen teil nemen der tochter in des eltervater oder in der eltermutter erbe.* Iam quum nepotes possessionem bonorum aui tunc demum nancisci dicantur, vbi ipsorum pater viuis suam partem nondum separatam acceperit, haud obscure intelligitur, si pater iam legitimam portionem hereditariam acceperat, (*von dem Erbe abgetsondert, getheilet war*) nepotibus successionem cum filiis superstitibus defuncti aui omnino non fuisse. Vnde etiam ius scabinorum Magdeburgensium nepotes cum auunculis concurrentes ab hereditate excludit: quam regulam adfessores huius iudicii deinceps secuti sunt<sup>b)</sup>. Quam rem pluribus prosequi non attinet, praesertim quum Fr. Chr. Ionath. Fischerus V. C.<sup>c)</sup> otium mihi fecerit, et originem pariter atque ordinem antiquissimum successionis Germanicae doctissime inuestigauerit.

Childebertus II.<sup>d)</sup> et Otto M. operam dederunt, vt successionem secundum repraesentationis legem in allodio (nam in feudo alia et ratio et origo est) certe in linea recta introducerent. Eiusdem quoque argu-  
menti

b) Coler in Decil. 43. n. 5.

c) Versuch über die Geschichte der deutschen Erbfolge. B. I. H. 8. A. 3.

d) Childebert. Decret. Cap. I. Conf. etiam Lex Wisigoth. lib. 4. tit. 5. §. 4. et Lex Langobard. lib. 2. tit. 14. §. 18.



menti dispositionem in collectione illa, quae solet Ius Caesareum appellari, inuenimus in primis *Part. 2. Cap. 34. in Senkenb. Corp. Iur. Germ. Tom. I. P. I. p. 37.* Atque ex eo ipso loco posteriores imperii constitutiones magis, quam ex iure Romano, veluti ex fonte fluxisse, idem Fischerus V. C. alio in loco \*) adferit, non omni quidem probabilitatis specie desliturus, at, quod mihi quidem videtur, non satis praefidiis ad defendendam sententiam suam instructus. Enim vero functiones illae quum moribus atque institutis Germanorum, praesertim Saxonum, plane aduersarentur, per paucas tantummodo prouincias inualere: quod vel ex his, quae Camera imperialis a. 1498. ad Comitata retulit \*\*) apparet. In plurimis enim prouinciis vsu adhuc seruari dicit, vt filii praemortuorum fratrum cum fratribus superstitibus concurrentes ab hereditate excludantur. Est potius, post varias disceptiones hac de re agitatas, repraesentationis ius demum in Rec. Imp. Friburgenfi a. 1498. §. 37. confirmatum. Sed tamen quoniam nonnulli Ordines imperii, in primis ciuitates imperii Sueuicae et Electores Moeguntiae et Saxoniae, ob iura particularia in ipsorum prouinciis obtinentia, contrarium statuebant, in Ordinat. Cam. a. 1500. haec lex fuit repetita. Principalis autem lex hoc de iure praecipens est §. 19. Rec. Imp. a. 1521. quacum coniungendum Edictum Spirense a. 1529. quod legem illam accuratius definiuit, simulque dubium de eo, vtrum fratrum liberi, soli exstantes, in stirpes, an in capita succedant, sustulit \*).

§. 3.

*Ius repraesentationis in Saxonia exul a).*

Iure Saxonico communi collaterales secundum gradus proximitatem succedere, vt semper proximior gradu remotiorem excludat, vel anti-

e) *Erfolgsgeſchichte der Seitenverwandten in Deutschland.* Leipzig 1782. pag. 58. Quam ibi sententiam ex libello: *Saueri gildener Flafs* profert, eam non satis ad probandam valere putauerim, propterea quod verba: *nach laur gemeiner beschriebener Keyserlichen Rechten*, de iure Rom. eommode intelliguntur. Idem ex rescripto Georgii duc. Sax. de iure repraesentationis in linea collaterali a. 1522. patet. vid. *Cod. Aug. Tom. I. pag. 1043.*

qui  
f) *Harppecht Archiu des Reichs-Cammer-Gerichts. Theil 2. §. 154. fig.*

g) Receptum est hoc ius in *Ord. Iudicii prov. l. Caes. Episc. Würceburgensis et Duc. Franc. P. 3. Tit. 17. in Iure Statut. Hamburg. P. 3. Tit. 1. Art. 15. in Iur. prov. Hohenlobico. P. 3. Tit. 1. Art. 4. 10. 15.*

a) *Conf. C. A. Bucher Diss. Praef. Ill. A. F. Schorr, de vera causa, cui hodie adhuc in Saxonia ius repraesentatio-*



qui iuris Sax. *poroemia je näher dem Sipp je näher dem Erbe testatur*<sup>b)</sup>.  
Omne igitur repraesentationis ius in linea collateralis exulat. Quia  
nulla ab initio videtur fuisse nepotum cum filiis superstitibus in here-  
ditate aui concurrentium successio. Nota est ac celebris antiquae litis  
decisio, Ottone M. imperante, ex ingenio illorum temporum duello  
in nepotum utilitatem facta. Ab eo igitur tempore nepotes etiam in  
Saxonia successiois capaces fuisse demum videntur. Quae quidem  
successio cui fundamento superstructa sit, ex communibus veteris Ger-  
maniae moribus, haud dubie apud Saxones quoque obuiis, de quibus  
paulo ante dixi, facile intelligitur. Etsi enim vulgaris est ICtorum  
opinio, hanc successioem ex iuris repraesentationis natura repeten-  
dam esse, originem tamen potius e iure deuolutionis peti debere arbi-  
tror, ita vt nepotes, ex iure proprio ad ipsos deuoluto, non ex his  
rationibus, quas Iustinianus habet, succederent<sup>c)</sup>.

Neque inane est hoc discrimen, aut in verbis tantum latens,  
quippe ex quo haud ignota quaestio, nepotes ad aui hereditatem vo-  
cati vtrum patri quoque succedere teneantur, an paternam heredita-  
tem recusare iis liceat, deciditur. Nam si iure repraesentationis succe-  
dunt, hereditate patris (videlicet propter aes alienum, quo premitur)  
non adita, etiam auo succedere nequeunt, quia patris loco eius here-  
ditatem capiunt. Quod si vero iure proprio ac deuoluto auo succe-  
dunt, paternam hereditatem sine vilo incommodo omittunt. Certum  
igitur est atque iudicatum, iure Saxonico collateralium remotiorum  
vius proximioribus nullam fuisse successioem. Etsi vero ex Rec.  
Imp. a. 1521. omnes consuetudines omniaque iura principiis nouiter  
introducendis contraria nullum plane debent valorem habere, et com-  
mune Imperii ius etiam in Saxonis ditionibus, iubente ipso Duce  
erat publicatum atque in forum introductum, ipsius tamen Georgii  
Ducis Rescripto a. 1522. dato ius antiquum in fora diserte reuocatum  
est, nouumque denuo sublatum. De ipsa causa, cur leges imperii in  
eo genere in Saxonia non valeant, diuersa sunt doctorum virorum iu-  
dicia. Alii eam in protestatione Rec. Imp. a. 1521. a Duce Saxonico  
adiecta collocant. Quod quidem possit in dubium vocari, siquidem  
pro-

tionis in successioe collateralium ab  
testato exulet, contra communem  
opinionem. Lips. 1768.

b) *Eisénbare Grundsätze der deut-  
schen Rechte in Sprüchwörtern* p. 206.

c) *I. S. F. Boehmer Diss. de nepo-  
tibus auo iure proprio succedentibus.*



protestatio illa non nisi ob contentionem de praecedentia cum duce Bav. agitata facta est. Alii eam in legislatoria Ordinum Imp. potestate latere censent. <sup>d)</sup> Sed illa potestate mihi quidem videtur ius ac facultas ab Imp. legibus recedendi, nec vero ipsa causa, cur in eo genere recesserint, contineri. Putauerim potius reuocationem illam praesertim ob preces ordinum Saxoniae prouincialium in legibus ferendis concurrentium factam esse, quod et ex actis Comitialibus patet. Etenim nobilitatem Germanicam, praesertim Saxoniam a iure Romano, praecipue in causis hereditariis introducendo, admodum alienam fuisse, quis est, qui nesciat? Caeterum eadem sanctiones in Const. Sax. Elect. 18. P. III. repetitae exstant.

## CAPUT II.

### §. I.

*Lusatia in fide et obsequio Imperii Germanici constituta.*

Lusatiam initio feudum imperii fuisse, litterae inuestiturae, quibus Rudolphus Romanorum rex a. 1289. Marchionatum Lusatiae in Wenceslaum regem Bohemiae iure feudi contulit, satis declarant <sup>a)</sup>. Iam quum Ferdinandus III. a. 1638. Electorem Sax. de Lusatia inuestiret, dominii quidem directi Imp. Germ. competentis in litteris inuestiturae mentio facta non est: quin potius est constitutum: *Dass Ihre Lbden unsere Erben und Nachkommen vom Hause Oesterreich, regierende König zu Boheimb, und alle derselben Successores an der Cron, von wegen dieser beyden Marggraffthümer, vor ihre Lehensherrn und pro supremis dominis directis, erkennen, ehren und halten etc.* <sup>b)</sup>. Nusquam autem inueni, neque scriptores illius memoriae tradunt, consensum Electorum accessisse. Atqui ex rationibus iuris publici Germanici (conf. Capitulat. caesar. a. 1519. art. XI. §. 10. et Cap. a. 1653.) Imperator hoc facto iuribus imperii derogare non potuit. Et iam olim consensu Electo-

d) Conf. III. Rou dist. Elector Sax. iuris Sax. defensor. Lips. 1784. Müller Staats - Cabiner. P. 4. Cap. I. §. 14. p. 21. seqq.

a) Vid. Du Mont Corps Dipl. T. I. P. I. pag. 267.

b) Ludewig Corp. iur. feud. Tom. 2. p. 15. Hagerius in Chron. Bohem. Saxones inquit, Luf. incolunt, sed sub fide et obsequio imp. germ. a quo rex Bohem. iure clientelari in beneficium obtinuit.



rum atque reliquorum Imp. Ordinum opus fuit ad Lusatiae cum regno Bohemiae incorporationem a Carolo IV. in comitiis Norimbergensibus a. 1355. factam <sup>c)</sup> qui etiam tum Lusatiam iure feudi ab Imperio tenebat. Sunt praeterea, qui Lusatiae possessoribus ius suffragii in Comitibus Imperii fuisse perhibeant <sup>d)</sup>. Sed vanam esse sententiam, vel inde apparet, quod Marchiones Lusatiae vnaquam illo iure vsos esse nullibi legimus, neque a curiis Lufaticis ad suprema Imperii iudicia prouocari potest <sup>e)</sup>, neque in matricula Imperii onerum publicorum praestatio ei iniungitur. Sunt denique iuris publici interpretes, qui Electoratum Bohemicum contendunt non in ipso regno Bohem. sed in Lusatia fundatum fuisse: sed obstat Aur. Bull. tit. 20. quo minus huic placito adfensum praebemus. Quidquid est, Lusatiam nexu atque clientela Imperii Germanici teneri, atque inter eius provincias referendam esse constat <sup>f)</sup>. Idemque ex priuilegio Rudolphi II. Imp. a. 1609. patet, vbi ait: *Immassen Wir Sie, (die Stände) dann in dem Religions-Friede des heiligen Reichs, als ein vornehmes Glied desselben gänzlich mit einschlossen* — et ex matricula Imp. a. 1467. in fin. *Idem, nachdem Behem, Merern, Schlesien, Lufiz — auch zu deutschen Landen gehören.*

§. 2.

*Ordo legum in Lusatia superiore.*

Lusatia, prioribus temporibus, non secus ac ipsa Bohemia, cuius accessio ac provincia demum ab incorporatione a Carolo IV. facta fuit, Saxo-

c) vid. *Goldasti* Commentarii de regno Bohemiae: in Append.

d) *F. Griebner* pr. de iure ciuitatis Germanicae Lusatiae competente: Vitteb. 1709. in Sel. Opusc. T. 3. p. 73. §1. *Marchiones coloniis germanicis, oppressis Venedis, in Luf. adductis, praefectos, iuribus ciuitatis germanicae, ab imperatoribus inuestros fuisse, atque inter ordines imperii locum obtinuisse;* est sententia Kemmerichii in *Introductione in Jus Publ. Lib. 1. Cap. 13.*

e) Lufatos a iudicio camerae imperialis exemptos esse, olim multi dubitarunt, propter Aur. Bull. tit. 10.

§. 1. in fin. et tit. 8. §. 1. qui locus de regis Boh. a regnicolarum eius immunitate inscribitur, et vbi statuuntur reges Bohemiae de principibus, magnatibus, comitibus et territoriiis extra regnum adquisitionis teneri sacro imperio ad pristina ac consueta iura explenda atque reddenda. Hodie res extra omnem dubitationem posita est.

f) Dubiam adhuc rem esse contendit *Canzlerus V. Cl. Für ältere Literatur. 2. Jahrg. 1784. 4. Qua. 1. Heft. p. 96.* nullis tamen rationibus additis.



Saxonico iure atque institutis vsa est, ac diu summum palatium Magdeburgensis forum in civilibus causis agnouit et inde ius suum petiit, quod etiam ex ipsa glossa ad Weichbildum <sup>a)</sup> perspicitur. Neque igitur mirum est, per hoc tribunal Saxonum iura fuisse introducta, praefertim quum idem ius aliis quoque regnis ac prouinciis ad illud prouocantibus, causarumque finitionem inde petentibus, redderetur. Sed iam Max. I. et postea Carolus V. omnem adhibuerunt operam, ut ius Saxonicum in parte earum prouinciarum, quae ipsis parebant, haud exiguo vsu obtinens tollerent. Quare postquam, teste Goldasto <sup>b)</sup> Magdeburgensis ciuitas a Carolo V. proscripta fuit, iure Saxonico a Ferdinando I. e prouinciis suis prorsus sublato Pragae constitutus est Senatus, ad quem prouocatione in causis non tantum in Bohemia, verum etiam in Lusatia tractatis certaretur <sup>c)</sup>. Ex quo autem Lusatia ad gentem Saxoniceam rediit, ita ei est prouisum, ut prouocationem ad Saxoniam Electorem haberet eiusque sub auspiciis *leges antiquas seruariet*, nec possent eius ciues a supremis Imperii iudiciis in ius vocari. Ex his, quae adhuc commemorata sunt, constat, antiquis quidem temporibus, per ipsos Saxones, quod pars Lusatiae cum Misnia erat coniuncta, ac per sententias palatii Magdeburgensis, maxima tum auctoritate praediti, sicut in aliis prouinciis, veluti Silesia, Bohemia, Polonia, ita quoque in Lusatia, deficiente proprio iure, moribusque patriis similibus, receptum atque vsu seruatum esse.

Vbi vero Lusatia ad Bohemiam redierat, praeter patria et communia iura, in subsidium etiam regni illius iuribus atque institutis vsa fuit. Nec dubium est, ab eo tempore, quo singulare iudicium prouocatorium in Bohemia Lufatis constitutum fuit, non amplius secundum ius Saxonicum, nisi in iis causis, in quibus vsu vel lege prouinciali erat seruatum, sed ante omnia ex iuribus prouincialibus (siquidem iam antiquiori aeo per Imperatorum priuilegia Ordinibus Lusatiae libertas suis legibus vtendi concessa est) sententias latas fuisse; his vero deficientibus, iura subsidiaria, Germanicum, Saxonicum, Romanum et Canonicum, normam praeuissse, quippe quod etiam ex

B 2

sen-

a) Ad Art. 10.

b) In Commentariis de regno Bohemiae. L. I. C. 16. L. 4. C. 3.

c) vid. Diploma Ferdinandum a. 1547. vbi in posterum prouocantes ius petere in supremo tribunali Pragensi iubentur. *Oberlaus. Collct. Werk.* T. I. pag. 180. Tom. II. p. 1409.



sententiis, de quibus mox dicam, intelligitur. Haud quidem ignoro, esse, qui ex falsa glossae ad Ius prov. Sax. lib. II. Art. 12. lib. III. Art. 62. et ad Weichb. Art. 10. interpretatione, iuris Saxonici communis generalem receptionem factam dicant. Enim vero ius Saxonium in Lusatia, quemadmodum ius Romanum, non nisi in subsidium valet, ita ut, his inter se pugnantibus, ius Romanum cum institutis per totum imperium lege praeceptiva receptis conspirans Saxonico ante ponendum sit <sup>4)</sup>. Neque obstat, quod ordinibus marchionatus Lusatiae superioris ab Imperatore Matthia, sub initium regiminis (d. 16. Sept. a. 1611.) securitas praescripta est — — — *dass in einkommenden Fällen, 1) nach Landes und Gerichtsordnungen, 2) Priuilegiis, 3) Statutis et iuribus municipalibus, 4) sowohl landüblichen sächsischen Rechten (dessen sich ein jedes Land gebraucht, und bey den Fragen und über-schickten Acten angiebt) decidirt und der Decision berührter Landes und Gerichtsordnungen, Priuilegiorum, Statutorum et iurium municipa- lium, (welche aber die Städte in glaubwürdiger Abschrift, sowohl bey der Cancelley, als auch bey der Appellation zur Nachricht einzuschicken hiermit erinnert werden) billig nachgegangen und die Belehrungs Urthel hierauf eingerichtet werden sollen. Im Fall aber ein oder ander Vorfall oder Casus, aus denen Landes- und Gerichtsordnungen, priuilegiis, Sta- tutis et iuribus municipalibus, noch aus denen Landüblichen Sächsischen Rechten nicht zu decidiren, so soll alsdenn auf solchen Fall 5) secundum ius ciuile, 6) vel Canonicum — erörtert werden* <sup>5)</sup>. Neque enim in hoc legum ordine ius commune Saxonium indistincte iuri Germanico et Romano praeferendum statuitur, sed restringitur potius verbis, *in so weit sich ein jedes Land dessen gebrauchet*. Sane si verba tantum legis sectemur, non modo priuilegia iuribus prouincialibus cederent, quod priuilegiorum naturae repugnat, sed etiam leges Germanorum communes nullum haberent vsum nec legis valorem in Lusatia, quia eorum

d) Conf. Ioh. Georg. I. *confirmir-  
ter* Bedencken d. 6. Sept. 1643. —  
*verbleiben solche Fälle sub dispositione  
statutorum prouincialium, aut suc-  
cessiue in Ermangelung derselben sub  
dispositione iuris communis Saxonici  
ART ciuillis.*

e) Conf. Ill. E. G. *Hartmann.  
diff. de simultanea investitura in  
feudis Lusatiae superioris.* Lips. 1750.  
§. 2. p. pag. 4. vbi primum locum  
in Lusat. sup. obtinere dicit statuta  
localia, Priuilegia, Edicta, Constitutio-  
nes, Decisiones regum Bohemiae  
et Marchionum Lusatiae.



eorum hic nulla fit mentio. Inueni quidem responsum Scabinorum Lipfienfium a. 1695. datum <sup>f)</sup> quo vsum Rec. Imp. ad Lufatiam extendendum esse negatur: at nullis nititur rationibus et analogiae iuris contraria est fententia, dum Lufatiam tamquam Imp. Germ. prouinciam legibus Imperii parere oportet <sup>g)</sup>. In cauffis quidem feudilibus res omni dubio caret, quod ius feudale Saxonicum modo in subsidium valere, eique a communi iure derogari difertis ac perfpicuis verbi flatutum est <sup>h)</sup>. Quamquam enim in ordinatione feudali cauffae dubiae plerumque ex iure Saxónico, quod etiam *Landübliches Recht* appellatur, deciduntur, re tamen accuratius perfpecta, ratio femper in confuetudine aliqua adlata latere intelligitur. Atqui, fi iuris Saxónici vniuerfa effet receptio, (de qua etiam ob *§. foviell nun vors erste §. die weil aber die Stände §. und weiln auch bey den Marggrafthum*, dubitari potest) confuetudinem eiusmodi adferre superuacaneum fuiffet. Iis quoque in locis, vbi iuris feudalis communis et Saxónici fimul mentio fit, femper prius, praeter species exceptas, posteriori derogare dicitur <sup>i)</sup>. Quae cum ita fint, ius Saxonicum commune non generatim in Lufatia est receptum, nec valet, nifi vbi confuetudine introducum aut lege fcripta receptum est: adeo vt, qui ad illud prouocat, receptionem factam probare teneatur.

§. 3.

*Ius repraesentationis in linea collateralis ex indole iuris Lufatici, et ob §. 19. Rec. Imp. a. 1521. obrinere debere in Lufat. sup. contra communem opinionem adferitur.*

Vidimus fupra, quae fuerint iura Lufatis, antequam regno Bohem. incorporarentur: etfi vero, dum haec mutatio accidebat, legum morumque et inffitutorum, quibus antea regebantur, confervationem quam ardentiffime fibi ftipulati funt; quum tamen in cauffis per remedium appellationis ad fuperioris iudicis cognitionem devolutis fummo Senatui Pragenfi fubeffent, regesque Bohemiae, praefertim inde a Carolo V. ius Saxonicum magno profecuti effent odio, procul dubio

B 3 iura

f) Vid. *Barthii hodegeta forenfis. cap. 3. §. 2.*

g) Cui fententiae etiam adftipulatur Goldaftus, licet incorporatione in feparabili cum regno Bohemiae facta, Lufatiam tamen a iure Imperii Germanici recessiffe negans.

h) *Lehn-Ordnung. a. 1652. §. ob nun zwar ingemein.*

i) *Oberl. Collect. Werk. Tom. I. pag. 1040. 1042. 1043. 1045. vbi legitur, als gemeinen REICHS und landüblichen Lehn-Rechten.*



iura quoque plane diuersa, atque a Saxonum iuribus quam maxime abhorrentia iis reddita sunt.

Quum autem Lusatia primum iure pignoratitio (a. 1623.) deinde etiam hereditario, certe sub nexu feudali (a. 1635.) a Ferdinando II. Electori Saxoniae Ioh. Georgio I. cederetur, ordines prouinciales salua sibi omnia iura sua ac priuilegia, saluam incorporationem, saluas constitutiones, immunitates et consuetudines stipulati sunt, neque edictorum, constitutionum et reliquarum legum Saxoniae Electoralis in definiendis domesticis litibus aliisque negotiis paragentis ullam habuerunt rationem<sup>a)</sup>: id quod in recessibus traditionis et immisionis factae confirmatum et a sequentibus Electoribus solemniter modo repetitum esse inuenimus<sup>b)</sup>. Quoniam igitur certum est nullisque dubiis impeditum, Imperatores, Lusatiae Marchiones, iuribus Caesareis et Germanicis plus quam iuri Saxonico fauisse eamque ob causam Senatus prouocationum Pragae institutus ius commune, praeter causas exceptas, sententiis ferendis reddidisse: saepe non mirum est, idem in controuersis de successione collateralium agitatis euenisse: cuius rei documentum in Budaei *observ. ad Ius Lusat.* p. 24. obuium fidem facit. Satis inde constat, eo tempore, quo ius Praga petebatur, secundum Rec. Imp. a. 1521. et ius in uniuersa Germania introductum lites diremtas fuisse. In feudis quidem eodem, quo in Saxonia, modo fratrum liberi ex dispositione *ord. feud. §. und weihn bey dem Marggrafthum* succedunt<sup>c)</sup>. Ex quo loco etiam patet, in causis allodialibus ius repraesentationis locum habuisse: nam expressis uerbis hic legimus, *weihn durch eine beständige Gewohnheit und üblichen Gebrauch eingeführt, dass des Vaters Bruder und Brudersöhne AUCH in Lehnsfällen etc.*

Liceat hic Heroldum adducere<sup>d)</sup> qui hunc Saxonici iuris rigorem plane non ad reliqua loca extra ditionem Electorum, Ducum ac Principum Saxoniae sita, licet ius Sax. vsu receptum ibi obtineat, extendi posse ostendit. Quod ita verum existimo, ut potius legum imperii receptio et vsus praesumi debeat, donec contrarium asserens probationem sustinuerit<sup>e)</sup>. Est quidem hodie Lusatia in ditione Electoris Saxonici con-

a) vid. III. E. G. Hartmann cit. Diss. pag. 3.

b) Oberl. Collect. Werk. Tom. II. pag. 1404. 1406. 1414. 1418.

c) Nic. L. B. de Gersdorf diss. de feudis Lusatiae superioris. Cap. 3. §. 10.

d) In Tractatu de iure repraesentationis. C. 4. S. 2. M. 1. §. 6.

e) Obitinet haec Constitutio Carolina in abbacia Quedlinburgensi, Episc. Halberstadiensi, Archi-Episc. Magdeburgensi, principatu Anhaltensi etc.



constituta; sed tamen omnes Saxoniae Electores inde ab Iohanne Georgio I. Ordinibus Lusatae, primum in recessibus immisionis et traditionis f) quum Lus. a. 1635 hereditarie quidem, at clientelari ratione, ad gentem Saxoniam perueniret, deinde etiam in reuerfalibus, salua eorum iura, consuetudines, constitutiones, et priuilegia fore, quam indulgentissime sponderent. Iam quum eo tempore, quo Lusata Regno Bohemiae incorporata adhuc erat, ius repraesentationis inter latere iunctos, vt ex his, quae antea dixi, apparet, obtinuerit, nullum profecto est dubium, etiam nunc neququam Saxonici iuris principia seruanda esse, nisi vbi receptio probari possit, sed secundum leges imperii causas controuersas decidendas. Constat igitur receptio et vsus Recessus Imperii: cuius diserta receptio secundum nonnullorum ICTorum sententiam g) in prouinciis S. R. Imp. ne necessaria quidem habetur, licet aliquando peculiaribus legibus deroget. Ita et iudicauit Collegium Vitemb. quod de iure respondet, mense Nouemb. a. 1686. in causa *Christoph Tungnickel und Consort. contra Matth. Kliphans: dasß Behl. von der angestellten Klage zu entbinden und loszuzählen; es könnten und wollten Klägere binnen sächßischer Frist wie Recht beybringen, dasß Brüder und Schwestern deren verstorbenen Brüder oder Schwester Kinder von der Succession zu des Bruders oder Schwester Verlassenschaft ausschließen.* Pari modo in Lusata inferiore ius repraesentationis in linea collateralis, contra principia iuris Saxonici ibi quoque introducti, obtrinet h). Neque intelligitur, quum vtraque Lusata iisdem fere iuribus ac priuilegiis vtatur, quae sit causa, cur repraesentationis ius, quod ad aequitatem naturalem propius accedit, in Lus. sup. obtinere non debeat. Nam ord. prov. Lus. sup. a. 20. Nouemb. 1551 i), quae videtur iuris Saxonici principia generaliter recepta esse, numquam vim legis accepit, sed intra proposita a principe haud confirmati fines stetit k).

His iam propositis, de vsu fori nonnulla addere, haud alienum videtur. Est vtique de iuris repraesentationis in Lusata superiore vsu atque auctoritate saepe multumque variis sententis disputatum, Neque certa ac constans fori Lusatici regula est, a qua vniuersa aliqua consuetudo

f) *Oberl. Collect. Werk.* Tom. II. pag. 1404. 1414. 1418. 1428. 1449. 1457. 1467. 1488.  
g) *Meunius ad ius Lubecense.* Quaest. praellim 7. no. 23.

h) *Richter in Decis.* 142. No. 17. *Budaei Observ.* 108. p. 159.  
i) *Cod. Aug. Part. III.* pag. 82.  
k) *Oberl. Beyträge zur Gelahrtheit.* Tom. I. pag. 44.



tudo peti possit <sup>l)</sup>). Quamobrem quae iura municipalia singularum Lusatiae sup. ciuitatum Hexapolitanarum de eo genere constituta habeant, paucis nunc videndum.

Gorlicii quidem statutaria iura, vt de patria mea primo loco dicam, nihil, quod huc spectet, referunt <sup>m)</sup>). Attamen iuris Sax. receptionem haec in re non extra omnem dubitationem positam esse, documentum, quod Budaeus in Obs. ad ius Lusat. adfert, testatur. Contra Budiensis statuta, Art. 6. Tit. 1. ius repraesentationis in linea collateralis ex Nov. 118. admittunt <sup>n)</sup>). Ius municipale Zittauense <sup>o)</sup> sequitur dispositionem iur. Sax. iuri ciuili aduersariam. Pariter institutis vrbis Camentiae cap. IX. §. 4. rigor iur. Sax. introductus est.

Enimuero quum haec iura numquam confirmata a principe sint, quae confirmatio vel in ipsa resolutione a. 1611. iam §. 2. allegata necessaria habetur, sententiam a me propositam haud infringunt. Denique in statutis municipalibus Laubanensibus et Loebauiensibus res silentio est praeterita.

Quare (liceat enim ea, quae proposui, in summam veluti redacta exhibere) quum probari non possit, ius Sax. in Lusatia ita receptum esse, vt, vbi leges prouinciales desunt, statim eo recurrendum sit, sed potius, qui ad illud pronocat, receptionem factam demonstrare debeat, quumque Lusatia, Imp. Germ. prouincia, legibus Germanicis consensu Ord. Imp. latis teneatur, quum denique Imp. Carol. V. et Ferdinandus I. magno odio ius Sax. quod antea in Lusatia obtinebat, persecuti sint, iura potius propria et Germanica in suis ipsorum prouinciis, in quibus Luf. erat, introduxerint, et in litibus de hereditate ortis ex iure communi sententias dixerint: etiam ius repraesentationis in linea collateralis, diserta iuris Saxonici receptione haud sublatum, in Lusatia sup. ob leges Imp. videlicet ob §. 19. Rec. Imp. a. 1521. locum habeat necesse est.

l) Conf. Singularia Lusat. T. I. Coll. 10. p. 683. *Meinerss Materialien* 6. St. §. 204. p. 573. *Lausitzisches Magazin* d. 30. Jun. 1785.

m) *Gorb. Hedlus* Diss. de successione ab intestato ex stat. Gorl. Cap. 2. Sect. 10 §. 4. Haec vna ciuitas statuta a

principe confirmata tenet, conf. Ill. *Schoer Samml. zum deutschen Stad- und Landrecht*, 1 Theil.

n) *Kaulfuss* Diss. de statut. Bud. collat. cum iure ciuili et Saxonico communi.

o) *Hoffmanni* Script. rer. Luf. T. 3. p. 160. 172.



# BEHRNAVERO SVO

S. D.

C. A. GVNTHER.

*Q*uanta diligentiae adfuitate in paranda liberalioris doctrinae, praesertim legum scientia ex eo inde tempore, quo ad academiam nostram accessisti, versatus fueris, cum omnes, qui TE norunt, satis compertum habent, tum ipse ego usu atque experientia edoctus scio. Intellexi enim, TE in iuribus addiscendis, compendiarie ratione parum contentum, fontes sedulo adiisse, rerumque origines et causas indagasse. Cuius studii cum laude abs TE suscepti documentum haud leue praebet ea, quam mihi obtulisti, super aliquo iuris Lusatici capite exercitatio, in qua nemo neque ingenii vim, neque legum historiaeque cognitionem desiderabit. Atque eandem ob causam ab omni laudum TVARUM praedicatione abstineo, quae et superflua est, ubi ipsa res loquitur, et ab ea modestia, quae TIBI cum his, qui litteras penitus noscunt, communis est, prorsus aliena. Reddo TIBI libellum, qui totus est TVVS: id quod vel argumenti, in quo tractando versatur, ratio demonstrat.

C

Nam,



Nam, si nonnullas verborum lituras exceperis, neque addendo neque detrahendo quidquam in eo mutavi. Vehementer laetor, me abs TE dignum iudicatum esse, quo comite in defensione illius publice more maiorum suscipienda uti velles: ex qua defensione ad reliquas laudes TVAS haud parum adiectum iri plane confido. Gratulor TIBI hoc doctrinae specimen: gratulor parenti TVO et reliquis ex gente TVA doctis viris felicem gentilitiae virtutis imitatore. Quod reliquum est, ut eum locum, in quo TVAE diligentiae TVARVMQUE virtutum praemia reportes meritiissima, mox consequaris, ex animo opto. Vale, mi BEHRNAVERE, mihi que faue. Scripsi in Lipsica litterarum universitate, a. d. XVIII. Sept. a. C. MDCCCLXXXVI.

---

I. Potestas



I.

*Potestas ecclesiastica Principum imp. euangelicorum a iure ipsorum territoriali est diuersa.*

II.

*Ad probandum periurium duo testes sufficiunt.*

III.

*Ultimum supplicium naturae societatis ciuiliſ hanc repugnat.*

IV.

*Bona ac redditus beneficii extincti in alieno territorio sita, domino territorii non cedunt,*

---



I  
Totius christianae Religionis inq. conspectus  
cum a iure ignominie et diuersis

II  
Ad prophanum periculum duo testes sufficiunt.

III  
Vt in omni populo naturae societatis eiusdem band  
reguntur.

IV  
Bonae ac reuerae benevolentiae in alieno terrae  
tore sua, demum terrarum non cedunt.



ULB Halle  
005 483 018

3



vd 18











Ac: 1102.  
1786, 14.  
DISSERTATIO IVRIS LVSATICI  
DE

IVRE REPRAESENTATIONIS  
IN LINEA COLLATERALI

OB §. 19. REC. IMP. A. 1521. IN LVSATIA  
SVPERIORE OBVIO.



QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE

CHRISTIANO AVG. GÜNTHERO

IVR. ET PHILOS. DOCT.

A. D. IV. OCTOBRIS A. C. MDCCCLXXXVI


H. L. Q. C.

DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS THEOPHILVS BEHRNAVER

GORL. LVSAT.



LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.